

www.e-rara.ch

Joh. Ludovici Fabricicii Opera omnia

Fabricius, Johann Ludwig

Tiguri, a. 1698

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13320>

Dialexis theologica inter Eubulum et Theophilum, de limitibus obsequii erga homines.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.


e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)



ΔΙΑΛΕΞΙΕ THEOLOGICA

Inter


EUBULUM ET THEOPHILUM,

De

LIMITIBUS OBSEQUII

Erga

HOMINES.



ILLUSTRISSIMO VIRO,

CAROLO BERTIE,

Filio Comitis de Lindsey &c.

SACRÆ BRITANNICÆ MAJESTATIS CONSI-
liario, Ætarii maritimi Præfecto, & ad plures Germaniæ Principes
nuper Ablegato Extraordinario, &c.

Patrono suo Gratiōssimo,

S. P. D.

JOH. LUD. FABRITIUS

MEmineris procul dubio, VIR ILLUSTRIS-
SIME, inter nupera colloquia nostra, quorum recor-
datio, quoad vixero, mihi jucundissima erit, sermo-
nem aliquando incidere de Summo Theologo *Ro-
berto Sanderſono*; Eum scilicet tanti à me fieri, ut *Præ-
lectiones* Ejus de *Conscientiæ & Juramenti obligatione*,
tum pro Academica cathedra publicè explicuerim,

tum Studiosæ Juventuti, quæ piâ SERENISSIMI ELECTORIS PALATINI liberalitate, in Collegio quod *Sapientia* vocant, præ omnibus Aliis in hoc genere Scriptoribus, soleam commendare : Dolere me tantum, quòd Ille coeptum opus publicè non peregerit, injuriatemporum impeditus. Memineris etiam, Te pro summa Tua in me benevolentia recepisse, quòd, quam primum in Angliam redieris, omnia ab Hoc Autore elucubrata, sive manu, sive typis exscripta, nobiscum esses communicaturus. Interea istam *Διάλεξιν* de *Limitibus Obsequii erga Homines* delineavimus, cujus plenam & accuratam pertractationem *Sanderfonus* nobis promiserat. Hanc autem hucusque videre non contigit, sive, quòd, ut Ipse conqueritur, Oxonii cum esset, eousque progredi non potuerit, sive quòd disputationem istam in Lincolnienfi quidem secessu postea confecerit, non tamen eam passus fuerit evulgari. Quicquid Ejus sit, vides, VIR ILLUSTRIS, quo consilio has Tibi pagellas inscripserim; non ut earum suscipias patrocinium, sed ut eas potiùs rejicias, earumque loco substituas, nobisque submittas meliores : id quod hisce publicè expositis precibus quàm impensissimè Te rogamus. Dab. Heidelbergæ, VII. Cal. Nov. MD. C. LXXXI.

EUB.

AIn verò? Doxasta igitur noster mandato Principis obedire noluit, neque ullis rationibus ullâve autoritate eò potuit adduci? Fortè ipsi non luculenter satis demonstrâsti, quodnam sit officium Subditorum.

THEOPH. Imò verò ipsas divinæ Majestatis leges ingessi, eorumque omnium commonefeci, quæ circa hanc rem in sacris oraculis præcepta extant. Recitavi illud *Pauli; Rom. XIII. 1. 2. 5. Omnis anima Potestatibus Supereminentibus subjecta esto. His enim si quis obstitit, Divinæ obstitit ordinationi. Quapropter necesse est subjici, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Tum & ista *Petri 1. Petr. II. 13; 14 18. Proinde subjecti estote humanæ ordinationi propter Dominum, sive Regi, ut Supereminenti Potestati, sive Præsidibus, ut qui per Eum mittuntur. Servi subditi estote cum omni timore Domini, non solum Bonis & Aquis, sed etiam Pravis. Quin & Naturæ legem adduxi, atque ostendi, istiusmodi obedientiam, apud omnes quantumvis immanitate barbaras & impolitas gentes, pro primo ac penitus necessario universæ Hominum Societatis principio haberi.*

EUB. Quid igitur Ille ad hæc omnia?

THEOPH. Subridens regessit; *Obediendum DEO potius quàm Hominibus, Præceptum hoc paris autoritatis esse cum omnibus illis, quæ recitaveram: Petrum, quem laudaveram, Divini Spiritûs impulsu eâdem usum fuisse exceptione, neque dubitasse, Judices suos, licet cætera iniquissimos, sibi que infestissimos, ad hocce axioma, tanquam indubitatum, & apud omnes confesum revocare, Act. IV. 19. Judicate Vos Ipsi, an justum sit vobis potius auscultare, quàm DEO? Nec minus istuc ex ipso Naturæ lumine constare, cum & Socrates hoc ipsum, iisdem planè verbis, Judicibus suis responderit. Insultans porrò me rogabat, an adeo jam oblitus essem Ariani mei, quem aliàs unà cum Epicteto perpetuum mihi comitem asciverim. Repetebat Arrian. in Epic. l. I. c 30. ejus monitum; ὅταν εἰσῆς πρὸς ἕνα τῶν ὑπερεχόντων, μέμνησι ὅτι καὶ ἄλλο ἄνωθεν βλέπει τὰ γινόμενα, καὶ ὅτι ἐκείνω σὲ δεῖ μᾶλλον ἀρέσκειν ἢ τῷ: Cùm ad aliquem ex supereminentibus Potestatibus ingrederis, memento Alium quoque de super ea videre, quæ geruntur atque oportere Huic potius placere quàm Illis. Addebat, idne Græcis quidem mulierculis incognitum fuisse, cùm Antigone Creonti Tyranno ita apud Sophoclem. responderit;*

ἔδ' ἐσθένειν τοσῶτον ὥμῃν τὰ σὺ
 Κηρύμαθ' ὡς ἄγραπτα καὶ σφαλῆ Θεῶν
 νόμιμα δύνασθαι Θνητὸν ὄντ' ὑπερδραμεῖν.
 ἐγὼ γάρ π' νῦν γε καχθές, ἄλλ' αἰεὶ ποτε
 ζῆ ταῦτα, κούδεις οἶδον ἐξ ὅτου φάνη.

Z Z 3

Τού-

Τούτων ἐγὼ ἂν ἐμελλον, ἀνδρὸς ἀδενὸς
 Φεῖνημα δείσις, ἐν θεοῖσι τὴν δίκην
 δώσειν;

Neque existimavi edicta tua tantum roboris habere, ut Numinis leges, quamquam literis non comprehensas, ex ipso tamen natura dictamine certissimas, mortalibus liceat violare. Neque enim istæ hodiè vel heri natæ sunt, sed æternum vigent, neque unde appareant, quisquam novit: QUAS EGO NULLIUS HOMINIS METU ADACTA UNQUAM VIOLAVERIM, NE NUMINI POENAS LUAM. Quin tandem me ad *Æsopum* Fabulatorem nescio quid *Soloni* in convivio dicentem remittebat, atque ex omnibus *Doxasta* noster conficiebat, hanc suam exceptionem, quod *DEO potius quam hominibus sit obediendum*, non minus quam illa humani obsequii præcepta quæ adduxeram, tum naturali Mortalibus omnibus communi, tum peculiari Divinâ lege præscriptam esse, pròinde ad obedientiam Principi in isto negotio præstandam se minimè teneri.

EUB. Solet isthæc præscriptio Rebellibus omnibus, & qui in ordinem redigi nolunt, quotidie in ore esse. Turbones omnes, seditiosi, Cerebrofi, Fanatici, Enthusiastæ, Hypocritæ Zelotæ, & Pharisaica illa Viperarum progenies, quæ sycophanticorum Hierophantarum tribum constituit, atque id genus alii Impostores, quotquot suæ ambitioni, avaritiæ, caterisque cupiditatibus Divinæ Majestatis nomen prætexere consueverunt, perpetuò hoc occinunt; *DEO potius quam hominibus esse obediendum!* atque isto obtentu legitimam *Supereminentium* potestatem eludere, & mandata detrectare, humana jura omnia evertere, & leges arbitrio suo subicere conantur. Quo nihil humano generi periculosius ac pestilentius dici aut excogitari potest. Hæc Tu *Doxastæ* Nostro debebas demonstrâsse.

THEOPH. Feci equidem, neque id indiligenter. Verùm Ille protinùs regerebat; Tyrannos, & quotquot injustum vel intemperatum in alios imperium affectant, omnes illas à me recitatas obedientiæ humanæ præceptiones vicissim perpetuò occentare; *Potestatibus nimirum supereminentibus esse obediendum non secus, atque ipsi DEO, pròinde justum censei debere, quicquid ab Ipsis sit jussum.* Ita & Eorum Mancipia atque iniquæ Dominationis Instrumenta, Assentatores, Gnathones, & cæterum istiusmodi servum pecus, si nulla pietatis & honesti ratione habitâ, Dominantium lubricini, suisque commodis unicè inserviunt, videri sibi justissimam foedi atque mercenarii sui obsequii excusationem attulisse, quando ajunt; *Id sibi imperatum, neque fas esse detrectare:* quibus sententiis itidem nihil ad fovendam omnis generis injustitiam, omnemque Humanæ Gentis libertatem funditus evertendam efficacius, adeòque nihil perniciosius proponi aut effingi queat.

EUB. Enimverò negari non potest, Homines sanctissimas istas utriusque

que generis præceptiones institutis suis adaptare, iisque, contra earum naturam ac tenorem, ad prosequendos fines suos quàm flagitiosissimè abuti. Unde omnino necesse est, earum abusum à genuino usu, & perversam accommodationem à justapraxi secernere, præsertim cum ad omnes Homines omnesque propemodum Eorum actiones in omni vitæ genere pertinere videantur.

THEOPH. Hac ipsa de causa sæpenumero optavi, materiam istam mihi dilucidius explicari, certosque *limites* definiri, quibus *obedientia* erga homines contineatur, quò & de aliorum actionibus rectiùs judicare, & meas absque erroris periculo aut formidine dirigere possim. Hinc nuper aded nonneminem super hac re consului, qui doctus dicebatur & pius, atque in istiusmodi causis versatus. Is verò stupiditatem meam oppidò mirabatur, quod talia rogarem elucidanda, quæ per se cuique obvia & clara essent. Unde se egregiè mihi satisfecisse existimabat, postquam omnia illa præcepta consimilibus dictis cumulata, & cum accurata designatione capitum & commatum, ubinam scripta extent, sæpiùs iterando mihi inculcavit, quasi eo fine ad ipsum accessissem, ut à fastidiosa ista repetitione & battologia labantem meam memoriam confirmarem, non verò ut definitum eorum sensum, & rectam actionum mearum regulam ex ipso addiscerem. Inde igitur ad Alium me contuli, atque hujus quæstionis petii enodationem, quam ille uno ictu expedit; *Deum solum Legislatorem esse, proinde me ad aliud non obligari, quàm quod ipse præceperit.* In quo responso tamen, ut ingenuè fatear, non omnimodè conquiesco.

EUB. Rectè judicas. Vel enim Consultor ille hoc suo responso nihil dixit, quod ad rem faciat, vel potissimam maximèque necessariam partem illius obedientiæ, quæ hominibus debetur, adedque divina in eam rem mandata, quæ paulò ante audivimus, funditus destruxit. Hoc enim ipsum; *Principibus obtemperandum esse*, Deus jubet: At quicquid ille jubet, hoc ipso nobis est observatu necessarium. Quod igitur ille respondit, *Deum solum Legislatorem esse*, vel ad solvendam quæstionem tuam nihil pertinebat, cum idem ille, utut SOLUS LEGISLATOR, jusserit tamen præscriptas à Principibus leges itidem non minùs ac suas observari; vel eò debet intelligi, ut nihil existimes observandum, quàm quod Deus ipse disertè ac sigillatim imperavit. Facile autem vides, hanc persuasionem manifestè falsam esse, & quemadmodum omni hominum societati, ita & huic axiomati, *Deo potiùs obtemperandum quàm hominibus*, directè repugnare.

THEOPH. Intelligo, tantòque impensius Te sententiam tuam rogo.

EUB. Quin potiùs collatà operâ in verum ac definitum axiomatis hujus sensum inquiramus, quem ubi detexerimus, reliqua circa hanc materiam omnia plana erunt. Primum, inter nos convenire puto, verba ista non eò inter-

pre-

pretanda esse, quòd *potiori* & *sanctiori jure* Deo quàm hominibus sit obediendum. Quamvis enim id verissimum sit, non tamen hoc impræsens spectamus.

THEOPH. Non fatis perspicio, quid velis.

EUB. Adverte igitur, mi Theophile. Nunquid, ubi homines eadem præcipiunt, quæ præcipit Deus, Nos uno eodemque actu Deo simul ac hominibus obedire & possumus & debemus. Ut Evangelii Præcones audias, & Deus & Christiani Magistratus jubent. Eos igitur si audis, Tu Dei simul mandato & Magistratûs edicto obtemperas.

THEOPH. Ita est.

EUB. Nunquid tamen in eo immensum est discrimen, quòd Deo *propter ipsummet*, Magistratui verò *propter Deum* obtemperas; Illi *directè* ac *primariò*, ob supremum Ejus & incommutabile in nos *Dominium*; Huic verò non nisi *indirectè* & *secundariò*, ob *munus* à Supremo Domino ipsi commissum.

THEOPH. Omnino.

EUB. Ergo, licèt utrique simul obtemperes, discriminis tamen hujus respectu dici potest; Te Deo *potiùs*, id est, *ob potiorem causam*, & *priori atque majori jure* obtemperare quàm hominibus. Verùm hoc sensu axioma nostrum in præsentì disceptatione non sumitur. Quòd si enim ita accipias, Tu Dei hominumque leges, tanquam *subordinatas, sibi que invicem consentaneas* spectabis. Atqui nos de *oppositis* loquimur, ubi scilicet hominum jussa vel consulta Divinis præceptionibus repugnant. Quem sensum etiam illi quos Doxasta laudavit Apostoli, & Socrates, & Arrianus noster secuti sunt, dum in illa causâ, in qua versabantur, obedientiam Deo *prestandam*, Hominibus verò *denegandam* esse statuerunt.

THEOPH. Intellego quid velis; neque puto opus esse ulteriori explanatione. Ceddò igitur tantùm regulam, juxta quam in singulis actionibus certò ac definitè possim dignoscere, *QUOUSQUE obsequium hominibus præstandum, quousque detrectandum.*

EUB. An igitur existimas Te axiomatici illius sensum esse affecutum?

THEOPH. Quidni? adeò rudis sim, ut non intelligam quid significant illa verba, OBEDIRE, DEUS, HOMINES, adeoque quis sensus sit totius ex illis complexæ sententiæ, DEO POTIUS QUAM HOMINIBUS OBEDIENDUM.

EUB. Quid si probavero, vix quenquam esse, qui quando iis utitur, ad veram eorum significationem attendat? Eamus sodes per exempla. Infinita illa quidem sunt, sed ex infinitis paucula sufficiunt. Meministin', quinam inter Judæos dicti fuerint Kannain sive Zelotæ?

THEOPH. Erant homines pii, qui Zelo Numinis accendebantur, ad exemplum Phinees, qui *Num. 25.* Zimri Principem tribûs Simeonis & Cozbi Paganam filiam Zur Principis Midianitarum in stupro palam deprehenso,

priva-

privatâ suâ autoritate, Divinæ gloriæ Zelo inflammatus, hastâ trajecit, quod factum Deus maximopere laudavit, & duplici præmio, eoque amplissimo tum publico tum privato, est remuneratus. Nam & plagam, quæ in totum populum sæviebat, propterea avertit, & ipsum Phineam omnemque ejus posteritatem perpetuo Sacerdotio donavit, eoque Jus constituit, ut quis privatus homo Alium in publico istiusmodi flagitio deprehensum, ex Zelo pro divinæ legis gloria, occidat, neque judicii forensis figuram aut Synedrii sententiam expectet. *Seld. de l. N. & G. l. 4. c. 3. 4. 5.* Quo jure utens Matthathias Ille in historia Maccabeorum, Judæum Modinæ sacrificaturum trucidavit. Nimirum sanctissimus hic Zelota non solum Regis Antiochi Ministris disertè pro se & Filiis suis respondit, *Se legi Divinæ, non verò Regis edicto obtemperaturum, verum etiam popularem i. Macc. 2. suum*, qui Regio mandato obsequabatur, tum & Apellem Legatum Regis, trucidavit, aramque destruxit, Zeloque pro Dei lege & ipse exarsit, & alios accendit, per civitatem obambulans, altâque voce exclamans: *Quicumque Zelum habent & Dei fœdus observant, adeoque Deo potius obtemperant, quàm Regi, me sequantur!* Hi igitur eorumque Socii & Imitatores dicebantur Zelotæ. Sed quorsum hæc omnia?

EUB. Mox audies. Nunquid etiam illorum Zelotarum meministi, de quibus passim Josephus?

THEOPH. Omninò. Sectatores se aiebant sanctorum illorum Zelotarum, atque à Zelo, id est, ardentissimo studio divinas leges tuendi, Deique gloriam promovendi, sibi nomen assumebant, reipsâ tamen erant mortalium omnium flagitiosissimi.

EUB. *Jos. de J. lib. 4. cap. 15.* Tenes. Quando igitur Ipsi Eorumque Coryphæi Sacerdotes, Eleazar Simonis & Zacharias Amphicani filius, rapinis & cædibus omnia implebant, Pontifex verò Ananus aliique Populi Seniores five Proceres, Ipsos ab istiusmodi flagitiis dehortabantur, quid putas respondisse?

THEOPH. Procul dubio Zelum pro Dei causa obtenderunt, & primum, (antequam eorum potentia eoque excreverat, ut ulteriori hypocrisi non opus esset,) responderunt, *Deo potius quàm hominibus obtemperandum.*

EUB. Jam adverte, quàm diversa, imò contraria fuerit istius unius ejusdemque enunciati, in ore Apostolorum & horum Zelotarum, notatio. Ibi vox DEUS Deum, vox HOMINES homines nativo sensu significabat; Hic verò per vocem DEUS, *Diabolus*, per vocem HOMINES, *DEUS* debebat intelligi. Nunquid enim in eo quod agebant, & ad cujus comprobationem axioma istud allegabant, revera Diabolicum instinctum sequebantur, Dei verò mandatum per Homines Pios ac Probos ipsis propositum rejiciebant?

THEOPH. Da aliud exemplum.

EUB. Dabo. Quando Imperator Valentinianus Primus in Occidentalibus Provinciis Arrianos opprimebat, Frater verò Ejus & Collega Valens in Orientalibus Imperii Partibus Orthodoxos Homusianos gravissimè persequeretur, utrique & Arriani sub Valentiniani ditione, & Orthodoxi sub Valentis dominatugementes, quisque protuenda professionis suæ perseverantia dictitabant; *Deo potius obediendum quàm hominibus*. Romæ igitur & Mediolani, in ore Eudoxianorum sive Arrianorum, vox DEUS significabat *Arrii placitum Concilii Ariminensis auctoritate approbatum, & Valentis edicto stabilitum*; Constantinopoli verò & Antiochiæ, eadem vox, eodem tempore, in ore Homusianorum, significabat *sententiam Catholicam Nicænæ Synodi decreto repetitam, & Valentiniani firmatam lege*.

THEOPH. Si rem ita explicas, rectè præfatus es, infinitam subesse dicto illi ambiguitatem. Nimirum sic in omnibus litibus, quæ inter Romanum Pontificem & Imperatorem reliquosque Reges ac Principes intercesserunt, Sacerdotes solebant dicere; DEO, id est, *Romano Episcopo* obediendum potius esse quàm HOMINIBUS, id est, *Imperatori vel Regibus*.

EUB. Idem & Aliis usu venit. Sic cùm olim in iis locis versarer, ubi Magistratus & Ecclesiasticorum Ordo inter se dissentiebant, sæpius audivi plebeculam Clericis superstitione addictam dicere; *Deo potius Obediendum quàm hominibus*: ubi per vocem DEUS sacros Antistites; per vocem HOMINES, Magistratum intelligebat, quasi Magistratus à Deo institutus non esset, & quasi quis, eo ipso quo in Sacerdotum classem relatus fuit, cessaret Homo esse, omnemque adeo humanitatem exueret. In Scotia abhinc aliquot annos accidit, ut nonnunquam, quæ in ipsis summis totius regni Comitibus, quod Parlamentum vocant, solemnissimè decreta erant, per Synodum aliquam improbarentur. Ibi factio quæ Synodo adhærebat, solebat dicere; DEO potius, id est, *seditionis & tribunitiis Concionatoribus*, quàm HOMINIBUS, id est, *Supremæ à Deo stabilitæ Potestati* esse obediendum. Ita succurrit, quod modò hodie in elegantissimis Burneti Commentariis de Ducibus Hamilton. lib. IV. sub finem. legi, fideli cuidam apud Britannos Præfecto, cùm in calamitatem quandam incidisset, ab amicis exprobratum fuisse, quòd Regi potius mundano, id est, *legitimo suo Principi*, quam Regum Regi, id est, *novarum rerum Machinatoribus ac Turbonibus* adhæsisset.

THEOPH. Certè si rem ita putes, nemo dicti hujus ambiguitates omnes enumeret. En quod mihi occurrit. Non ita pridem Principes quidam edicto prohibuerunt, ne Evangelii præcones in concionibus suis, inutiles, imò noxias, & non nisi ad hominum animos ac studia distrahenda comparatas vitiligationes Christianæ Plebi proponerent. Ibi obstinati, & convitiis jactandis innutriti Declamatores in pulpitis ubique vociferabantur; *Deo potius quàm hominibus obediendum*. Quid quæso ibi DEUS notabat?

EUB.

EUB. Crediderim nil aliud notâsse, quàm *impotentem publicè deblaterandi cupiditatem, conjunctam cum impudenti scholastico typho, atque ignorantia meliorum rerum.* Sed de his aliàs. Verbo absolvam; non solum Hypocritæ & Veneratorum, verum etiam Cerebrofi, Superstitiosi, Maniaci, Enthusiastæ, vel *atram* quâ vexantur *bilem*, vel *Diaboli ludibria*, vel *somnia sua* & *deliria*, DEUM vocant, cui, spretis HOMINIBUS, id est, *tum humanis legibus, quæ ab Homi- nibus traduntur atque coluntur*, sit obtemperandum. Ita vides, innumeris modis contingere, ut Homines, sive ex ignorantia, sive ex quodam mentis errore, sive ex *fucata malitia* & *dolosâ pietatis simulatione* abutantur vocabulo DEI.

THEOPH. An Ergo voci HOMINIBUS etiam inest obscuritas.

EUB. Non æquè. Unus tamen occurrit ferè omnibus familiaris, nec minùs ridiculus error, quòd in materiis præsertim odiosis, ut quando Homines de Hominum nequitia, fraudibus, & universali corruptione, querimonias instituunt, Se ipsos tacitè eximunt, ita ut per Vocem *Homines* tantummodo Alios intelligant, quasi Ipsimet in hominum numero non essent. Verùm hoc obiter dixerim. Cœterùm, pro præsentis nostri instituto, per vocem HOMINES significantur omnes illi, quotquot vel *jus Aliis imperandi* sibi vendicant, vel *suadendi munere* funguntur, sibi que adeo obediri volunt, quâcunque *potestate, vel autoritate*, sive revera præditi sint, sive præditi esse videantur; Reges adeò ac Principes, Antistites sacrorum, Concilia, Tribunalia, Præfecti, Parentes, Demagogi, Oratores, atque uno verbo, *omnis creata sive supereminens sive sub- alterna* POTESTAS, *quatenùs aliquid mandatis Dei adversum vel jubet vel consulit.*

THEOPH. Teneo jam quidem planam & liquidam totius nostri axiomatis explicationem: nondum tamen quam à Te petii, regulam habeo, ad quam singulas actiones meas exigere, & ex qua certò cognoscere possim, nunquid forte Hominibus, vel *plus* quam Ipsi Deo, vel *minus* quàm Ipse Deus jus sit, obtemperem.

EUB. Age. Nunquid certum est, Deum præcepisse, ut iis, qui Præfecti nobis sunt, obediamus?

THEOPH. Certum.

EUB. Non ne id quod certum est, præferendum est minùs certo?

THEOPH. Annuo.

EUB. Ergo jam vides, quòd si certò scias quippiam ab Humana Potestate præceptum esse, at non æquè certò & *evidenter* scias id ipsum à Deo esse prohibitum, Humane Potestati Te debere obtemperare, neque licere istâ exceptione uti, quòd Deo potius sit obediendum quàm Hominibus. Hoc enim si faceres, certum Dei mandatum incertæ prohibitioni præferres. Verùm si quid à Creatâ Potestate mandatum esse certò nōsti, & *vel certius* & *evidentiùs*, vel saltem æquè certò & *evidenter* cognoveris id ipsum à Deo prohiberi, clarum est tibi exceptione istâ utendum, &

Divina potius prohibitioni quam humanae præceptioni parendum esse. Id quod pariter valet, ubi Deus aliquid jubet quod prohibent Homines. Hanc regulam si observes, nunquam errabis, neque ulla circa hanc rem obveniet difficultas, ex qua Te non protinus expedias, ut, hîc quidem, nihil opus sit immensâ istâ quæstionum & solutionum sarragine, quâ Impostores illi, quos *Casuistas* vocant, simplicium & piorum Hominum conscientias irretire atque obruere solent.

Ufus est hoc canone Doctorum Ecclesiæ sapientissimus *Augustinus*, & ex hoc principio difficillimas quæstiones resolvit. Ita alicubi, quid pio Militi sub Imperatore sit agendum, *Vir justus*, inquit, *lib. 22. contra Faust. c. 75. si forte sub Rege, Homine etiam sacrilego, militet, rectè potest jubente illo bellare, civica pacis ordinem servans; Cui, quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est; ita ut fortassis reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat serviendi ordo.* Hujus autem regulæ perpetuum neque ulli errori obnoxium usum ut melius & certius perspiciamus agedum exemplis aliquot experiamur, eamque primùm applicemus ad istud factum *Apostolorum*, quod paulò antè audivimus. Prædicaverant Evangelium de Christo; eâ de causâ à Pontifice Maximo & Principibus populi in Concilium citantur; asciti se sistunt; ab iisdem jubentur ex Concilio exire; parent, exeunt: revocantur; iterum parent, redeunt; cogitant enim hæc sibi à Deo prohibita non esse, unde se omnino teneri ad obsequendum. Jam porro jubentur ab Evangelii prædicatione abstinere; Hucusque paruerant, sed hic desinunt parere; sibi enim Evangelium prædicandi & cum primis de Christi resurrectione testandi munus à Deo commissum, aequè certò & evidenter, imò certius & evidentiùs nôrunt, quàm certò atque evidenter intelligunt, Pontificem & Seniores populi sibi præfectos esse. Unde necessariò concludunt, cum istorum interdicta cum Dei edictis pugnent, quoniam utrisque satisfacere non poterant, hujus potius quàm illorum voluntati parendum esse.

THEOPH. Intelligo. Jam sine, ut etiam exemplum tentem. Nimirum & hanc regulam *Thebæi Legionarii* adhibuerunt Hyberna agebant in Palæstina; Jubet Diocletianus Imperator ut in Italiam veniant; Veniunt; Jubet ut Maximiano Cæsari obediant; obediunt: ut copias ejus sese adjungant; adjungunt; jubet Maximianus ut Alpes Gallicas superent; Superant: ut sese instruunt ad prælium contra tumultuantes Bagaudas; sese instruunt: certò enim & evidenter sciebant isthæc ab Imperatoribus suis, licet Ethnicis & Tyrannis mandata esse, neque ipsis certò & evidenter constabat, quòd à Deo prohibita sint. Jam verò Maximianus præterea jubet, ut Diis sacrificent. Id certò & evidenter nôrunt à Deo esse interdictum. Hic igitur obsequium eorum cessat, maluntque omnes perire, quàm Summi sui Domini violare mandatum.

EUB. Rectè! Ita de Christianis sub Juliano militantibus eleganter

Augustinus Enarrat. in Psalm. 124 Julianus exstitit infidelis Imperator. Nonne exstitit Apostata, infidelis, Idololatra? Milites Christiani servierunt Imperatori infideli. Ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in cælo erat. Quando volebat ut idola colerent, ut iburificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant Dominum Aeternum, à Domino temporali, & tamen subditi erant propter Aeternum, etiam Domino temporali. Jam & contrarium exemplum experiamur. Regem cogita, qui in solemnibus atq; legitimis totius sui regni Comitibus legem sancit, ut posthac ii, qui in infantiabaptizati essent, quando adultiores evalissent; prævio catechetico examine, ritu manuum impositionis confirmentur; tum ut nonnunquam certis de causis ac pro re nata Baptismum & Sacram Cœnam privatim liceat administrare; itemque ut flexis genibus publicæ preces fiant; & ut tandem in memoriam nativitatis, ascensionis, resurrectionis Christi, & missionis Spiritûs sancti, certi quidam ac statim dies concelebrentur. Hac, inquam, lege stabiliuntur in eo confessu, ubi legitima totius regni Majestas residet. Jam sunt aliqui regni ejusdem incolæ, cum quorum sensibus leges istæ non conveniunt; Hi obmurmurant, se Superementi Potestati non parituros; Deo votum nuncupant, & quasi Ille, vel universali quâdam approbatione, vel peculiari & miraculoso nutu, votum istud acceptasset, se foedus cum Deo iniisse jactant; inde conveniunt, conjurant, Supremæ Majestatis jussa rescindunt, milites conscribunt; tumultibus, cædibus, rapinis materiem præbent; Homines quietos & modestos, tanquam Eos, qui Zelo careant, opprimunt; ex publicis muneribus, quibus per multos annos sanctè & castè absque concussione & simonia præfuerant, ejiciunt; totum tandem Regnum cum Rege evertunt. Anne putas hos Homines regulam nostram adhibuisse?

THEOPH. Non puto.

EUB. Enimverò certò & evidenter sciebant Supremæ Majestati parendum esse; scire autem velim, unde æquè certò & evidenter scire poterint, prohibitum esse à Deo, ne adolescentes in Catecheticis solemniter examinentur, neve manus ipsis imponantur; vel Deo adeò graviter displicere, si Ecclesiæ Minister privatim infantulum morbo periculoso laborantem, ex piorum Parentum voto Baptizet, vel statis diebus illustriora Servatoris Nostri gesta commemoret.

THEOPH. Profectò tale quid etiam Doxastæ nostro accidit, quando nuper sanctissimo mandato, ut, ad contestandam animi nostri erga Deum devotionem, in posterum publicè de geniculis orarem, noluit obedire.

EUB. Id verò apprimè miror. Semper enim mihi visus est homo religiosus, quamvis cætera refractariolus.

THEOPH. Imò sibi visus est hac in re multum sapere, multa que attulit

pro sua opinione. Aiebat populum fidelem, & in Veteri & in Novo Testamento, solitum fuisse *stantem* orare, quin & disertè iustum; *Nehem. IX.* 5. ut ad preces faciendas *consurgeret*. Unde factum, ut locutio isthæc, *stare coram Deo*, idem significet, quod adorare, & *statio* pro oratione sumatur. Christum Ipsum *Marc. XI. 25.* *stantibus* promississe peccatorum remissionem, ὅταν στήκῃτε προσευχόμενοι; & Publicanum, postquam preces suas *stans* peregerat, fuisse iustificatum; neque istum precantis gestum à Spiritu sancto frustra notatum esse. Unde concludebat, se mandato de geniculis orandi obedire non debere.

EUB. Verùm ille graviter errabat. Ex his omnibus enim non aliud poterat conficere, quàm quòd quidem per se licitum sit *stantes* orare, nec tamen illicitum orare *flexo genu*. Nehemiæ Ezram reponere poterat, qui *Esd. IX.* 5. pronis genibus preces suas fudit, & Christi ipsius exemplum *Luc. XXII. 41.* & Petri *Act. IX. 40.* & Pauli *Act. XX. 36.* & Eph. *III. 14.* Sed quid opus in re clara?

THEOPH. Imò contendebat hodie Christianus, hunc gestum prohibitum esse. Allegebat hanc in rem decretum Sanctissimæ Synodi *Nicæne*, in quam nos omnes juramus, & cuius placita Sacratissimorum Imperatorum sanctionibus in leges transiverunt. Ibi autem disertè cautum, *ne die Dominico, aut festis Pentecostes preces genibus flexis peragantur*. Monstrabat mihi in ipso Codice univèrsæ Ecclesiæ Canonem inter Nicænos genuinos ultimum; ἐς ὧτας ἔδοξε τῇ ἀγίᾳ συνόδῳ ἵσως εὐχαῖς διαποδιδόναι τῶ θεῷ. *Visum est sacrosanctæ Synodo, ut stantes Deo preces persolvant*. Addebat, quomodo hunc Canonem *Zonaras* in Scholiis suis, & *Alexius Aristenus* explicaverint: quorum posterior ait; ἡ ΔΕΟΝ κλίνειν γόνυ ἐν ταῖς κυριακαῖς καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς πεντηκοστῆς, ἀλλ' ἐς ὧτας τὰς εὐχὰς διαποδιδόναι τῶ θεῷ. *NON DECET genua flectere diebus Dominicis & Pentecostes, sed oportet stantes Deo preces solvere*. Idque propter gravissimas rationes, quibus Univerſa Ecclesia Christiana etiànum hodie tenetur, prout eas & *Augustinus*, & *Autor questionum ac responsionum ad Orthodoxos. Quest. & Respons. CXV.* quæ Justino Martyri adscribuntur, fusiùs declarant. Nimirum τὸ ἐν τῇ κυριακῇ μὴ κλίνειν γόνυ, σὺμβολὸν ἐστὶ τῆς ἀναστάσεως; *Genua dominico Dei non flectere, Symbolum est resurrectionis*, tùm Christi tùm nostræ, ut qui hoc Symbolum rejicit, resurrectionem ipsam negare videatur. Unde & *Basilii Magni*; *De Spiritu sancto cap. 27.* ΑΝΑΓΚΑΙΩΣ ἐν ταῖς ἐν αὐτῇ (ἡμέρᾳ κυριακῇ) προσευχαῖς ἐς ὧτας διαποληρεῖν, τὰς εἰωθῆς τρεφίμες ἢ ἐκκλησίᾳ παιδεύει. *NECESSARIO igitur hoc Dominico die preces à STANTIBUS absolvendas esse, Christiana Ecclesia Alumnos suos docet*. Hæc mihi Doxasta noster, ne de veritate dubitarem, ex ipsis Scriptoribus prælegit, tùm & operosiùs demonstravit, hanc consuetudinem non à Nicænis Patribus, sed ab ipsis Apostolorum temporibus initium ducere. Testem hujus rei adduxit ipsum *Irenæum de Paschate, apud Autorem Q. & R. Dein ex Tertulliano*, hæc verba legit

legit, ubi gravissimus hic Scriptor, *De Coron. Milit. c. 3.* de tota Christiana Ecclesia loquens; *Die Dominico NEFAS ducimus de geniculis adorare.* Unde ajebat non mirum esse, quòd *Habessinorum* Ecclesia vetustissimorum rituum religiosissima observatrix *stare soleat inter Sacra, minime verò in genua procumbere*, ut inter alianos edocuit Illustris Æthiopicæ Historiæ Scriptor, *Ludolficus hist. Æthiop. l. 3. c. 6. sect. 26.* & quòd hodiernum *Russi*, qui Græcæ Ecclesiæ partem faciunt, **DETESTABILE esse credant, poplitibus flexis Deum adorare: Esse enim imitationem Prætorianorum militum Pilati, qui ponentes genua sua Servatori illudebant.** Baro de Meyerberg in itinere *Moscovit. 1661. p. 51.* Nimirum Homines rudes ac simplices antiquissimum ritum ab Apostolicis usque temporibus derivatum religiosissimè observant, licèt veram ejus instituti causam & significationem ignorent, unde aliam, eamque ridiculam, substituerunt. Hæc, & plura alia, quorum non nemini, magno cum animi ardore mihi objectavit, mirificè sibi hac in re applaudens Doxasta, ac tandem; Egone igitur Principis mandato obtemperem, contra totius & Meridiem & Orientem & Occidentem versus latè patentis Ecclesiæ Christianæ, ab ipsis Apostolorum temporibus deductam, & Oecumenicâ Synodo confirmatam, & à sanctissimis Martyribus, & Fidelium Doctoribus constanter edoctam & excultam praxin? Equidem **CONSCIENTIA** mea tantum mihi facinus non permiserit.

EUB. De **CONSCIENTIÆ obtentu, ac Satane Profundis sub vocis hujus tectorio latentibus**, aliàs colloquemur. Si lubitum Tibi fuisset disputare, poteras regerere, nos in Synodi Nicænæ Canones non jurare, sed in Symbolum; neque Canonum illorum observantiam, sed doctrinæ Arianis oppositæ professionem Justinianæ lege injungi; qui ritum resurrectionis indicem omiserit, non propterea ipsum resurrectionis mysterium diffiteri; Irenæi librum de Paschate hodie non extare, neque testimonium ex eo desumptum legi nisi apud Pseudo-Justinum; atque hunc Ipsum non asseverare, quòd *Statio* inter precandum ab Apostolis mandata fuerit, sed tantum quòd à temporibus Apostolicis consuetudo ista sumserit initium; Quin illum ipsum scriptorem, & in *Questione* tanquam certum assumere, quòd *genuum inclinatio in precationibus Peccatores magis commendat Deo, divinamque permoveat commiserationem*, & in *Responsione* statuere, *Genuflexionem* non minus commemorationem esse nostri lapsûs atque miseræ, quàm *Statio* sit resurrectionis sive spiritualis sive corporalis sacramentum; Porrò negari non posse, quin cæteroquin Veterum Christianorum mos fuerit inclinatis genibus precari. Testem poteras adducere *Eusebium*; Vide quid de Christianis sub M. Aurelio militantibus *Hist. Eccl. lib. V. c. 5.* scribat; *ἐν τῇ πρὸς τὰς πολεμίας ἀγῶναις γόνυ θέντας ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ τὸ δεικνόν ἡμῖν τῶν εὐχῶν ἐστίν, ἐπὶ τὰς πρὸς θεὸν ἰκεσίαις τρέπεσθαι*: *In ipsa constituta adversus hostem acie genu in terram usque flexo, qui propriis precum nostrarum mos est, ad supplicationes erga Deum conversos esse.* Adverte hunc Christianorum pro-

proprium fuisse Characterem, ut genibus flexis orarent. Ex quo patet, *neceffitatem illam standi*, quam *Bafilii*, vel *Hieronymus* etiam aduersus *Luciferianos* urget, non nili *Juris positivi*, ac proinde utrumlibet gestum *naturâ suâ* aut *Divino Jure* licitum esse. Sed his omnibus omniis, modò *Doxasta* regulam nostram adhibuiffet, fieri non poterat, ut ullo hîc scrupulo laboraret. Certò enim & evidenter novit à Principe mandatum, ut genua in precibus flectantur; nequaquam autem certò & evidenter novit, id à Deo prohibitum esse. Quapropter certò atque evidenter & potuit concludere & debuit; *Principi hâc in re parendum esse. Nimirum in adiaphorâ, superioris judicio maxime credendum, quoniam ille vice Dei tibi dicit, expedit, quid decet*, ut rectè *Gerson. Relig. part. 3.*

THEOPH. Sed, ut in transitu hoc regeram, qui si extra hunc Principatum ad alias Ecclesias veniamus, ubi *stantes* orare solent?

EUB. Certè per eandem regulam ibi *stans* orabis. Cùm enim nostri Principis mandatum extra territorii sui fines se non extendat; ubi certò atque evidenter cognoveris hunc standi gestum alibi imperatum esse, Tuum erit, Te-Temet illi ritui conformare, quem illic loci, ubi versaris, receptum vides. Prudentissimus Hipponensium Præsul; *ep. 118 ad Jan. c. 2. In his, inquit, nulla melior est disciplina prudenti Christiano, quam ut eo modo agat, quo agit ecclesia, ad quamcunque devenerit: quod enim nec contra fidem, nec bonos mores injungitur, indifferenter habendum est.* Scilicet rem absolutè spectando indifferenter habenda est; sed si ad legem, & quæ legi æquipollet publicam consuetudinem respicias, jam quod citra hanc indifferens erat, vel bonum vel malum evenit. Unde iterum Canonis nostri Veritas quàm manifestissimè concluditur.

THEOPH. Agnosco equidem, veram esse regulam istam, quam tradidisti: subdubito tamen, an illa sola omnibus in communi vita circa hanc rem obviis quæstionibus solvendis sufficiat. Verbi gratia, si Princeps me jubeat in bellum prodire, atque ego dubitem an bellum justum sit necne, quid ex hac regulâ mihi agendum?

EUB. Vel facultatem habes certò & evidenter de belli istius natura judicandi, vel non habes. Si prius, postquam bellum injustum esse certò & evidenter comperisti, ab eo abstinendum erit; si posterius, jussui Principis parendum.

THEOPH. Non respondes ad rem. Quæro enim, quid mihi faciendum sit, si DUBITEM de belli justitia.

EUB. Imo jam respondi. Quin imò ipse Tibi jam respondisti. Dum enim DUBITAS de belli justitiâ, utique certo & evidenter non nosti bellum injustum esse; contra verò nosti certò & evidenter, quòd Principi sit parendum. Certum autem est atque evidens, certa & evidentiâ dubiis & obscuris præferenda esse.

THEOPH. At dum de belli justitia dubito, & in bellum tamen prodeò, teme-

temerè ago in re gravissima, neque ago ex fide, ac proinde pecco, neque horreo offendere Deum.

EUB. Imò neque *temere* agis, neque *sine fide*. Scis enim & credis Magistratui parendum esse, & ex hac *scientiâ* ac *fide* proficiscitur Tua in bellum profectio. Unde neque dici potest, Te *temere* agere, cum ex certa scientia agas.

THEOPH. Saltem mihi incumbabat inquirere, an bellum justum esset necne, ut à dubitatione me liberarem.

EUB. Incumbebat sanè, si officii Tibi in Civili Societate demandati ratio Te ad istiusmodi inquisitionem certò & evidenter obligabat. Sin; evidens erat ut obedires; non æquè evidens, ut curiosè ea rimareris, quæ iudicio Tuo subijci neque poterant neque debebant. Ipsa rerum gerendarum natura certò atque evidenter postulat, ut earum rationes ac modi non unicuique propalantur; quod igitur vulgo exponi non debet, id utique vulgus non tenetur inquirere, imò tenetur non inquirere: Interim tenetur ea observare, quæ certò & evidenter exposita sunt.

THEOPH. Videris hypothesi Tuæ inservire, ut regulæ Tuæ perfectiorem defendas.

EUB. Possèm regerere, mi THEOPHILE, Te veritaris quidem evidentiâ convictum, ægrè tamen mihi adstipulari, dum à teneris assuefactus es Aliorum potiùs auctoritatem, quàm rationem sequi; id quod, hac præsertim in causa, mirum mihi videtur, quandoquidem ubi evidentibus Dei mandatis & publicis legibus obedire vereris, ibi tranquillè conquiescis, simulatque unus & alter Privatus Doctor auctoritate sua Te confirmet. Ne quid igitur hîc desideres, dic, si me amas, quemnam ex infinito Casuistarum numero admittas idoneum Tibi Doctorem.

THEOPH. Nolim neque *Scholasticos Conscientiarios*, neque *Politicos* illos Scriptores, *Grotium*, ipsique consimiles Judices admittere. Cedò *Amesum*. Certò enim persuasum habeo, ipsum longè aliud sentire.

EUB. Aded evidens est quod dixi, ut Vir pius & intelligens dissentire non possit. Inspiciamus igitur, quæ ille hac de re dissertavit. Legamus ex *libri quinti de Conscientia capite XXXII.* hæc pauca; *Milites inferioris ordinis, qui sunt subditi Principi bellum gerenti, non tenentur, neque possunt accuratè examinare causas belli, sed sunt executores tantùm sententiæ alienæ, & instrumenta, que non tam moventur proprio consilio ac deliberatione, quàm cause principalis. Hi in causa dubia tutiorem partem sequi debent. Sed tutius est, (ubi de nulla injustitia CONSTAT) sequi jussum Principis, & consulere suæ ac suorum salutem, quàm alienam.*

THEOPH. Acquiesco. Verùm ecce aliud exemplum. Sint Homines, qui de certis fidei dogmatibus ex sacrarum literarum oraculis edocti, sub Principe degunt alii religioni addicto. Hi juxta monitum Apostoli *Hebr. X. 24. 25. ἐπισυναγωγᾶς* sive conventus Ecclesiasticos inter se constituunt. Prohi-

bet eas Princeps solemnī edicto, & institutas deferi jubet, quas ipsas, tamen neutiquam deferendas, sed colendas esse jubet Apostolus. Quid faciendum, & Utri parendum, juxta regulam Tuam? Vide, quid *Episcopus in Resp. ad quest. LII.* respondeat;

Tentanda primū sunt omnia, quæ leniendo Magistratūs animo servire possunt. Si id frustra omnino sit, secreti licentia, opportunis, seu tempestivè, seu intempestivè, locis quaerenda est. Si nec id tutò, aut sine periculo fieri potest, minuendi sunt cœtus & crebrò iterandi. Quòd si istud etiam non succedat, experiunda potiùs sunt pericula & damna quædam, quàm intermittendum prorsus bonæ Conscientiæ alende remedium. Nempe Constantia & patientia lassandus est Magistratus, ne aliud quid in causa esse videat, quàm serium ac constans bonæ Conscientiæ studium; quippe quod nec vi frangi, nec blanditiis se flecti patitur, sed solis rationibus. Dices: quid si carceres, virgæ, equuleos, rotas, cruces, laqueos & gladios intentet, adhibeatque Magistratus? Respondeo: Tum verò prudentissimè agendum, & obsirmandus adedò animus, ut si necesse sit, quovis pretio, vel sanguinis ac vitæ, redimere malim Conscientiæ securitatem & Dei favorem æternum, quàm contra eam quicquam facere in Magistratūs gratiam, deferendo nempe cœtus istos, quos conscientiarum nostrarum alimentum suppeditare nobis credimus, & frequentando templum, sive τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν, in qua contagio à pure & Veneno metuenda est; vel saltem continendo nos ipsos intra privatam Scripturæ Sacre lectionem, & abstinendo ab omni ἀντιῶν ἐπισυναγωγῇ. Hoc enim disertè vetat hic Scriptor ad Hebræos, in Variis culpat serioque taxat, cùm ait, καθ' ὅς ἐβόησιν. Non puto istum agendi modum ex regula Tua deduci aut demonstrari posse.

EUB. Quousque Princeps in iis, quæ ad religionem pertinent, imperium suum exercere possit ac debeat, aliàs videbimus. Nunc in præsentī argumento ante omnia examinandum, an cultus Divinus, in cœtibus publicis ab Ipso imperatis vicens, certò atque evidenter salutiferæ fidei principia excutiat; id quod si certò atque evidenter Tibi compertum fuerit, Te illi adungere non licet. Sin, Magistratui obedire teneris, neque licitum est segreges cœtus agere. Neque enim certum est aut evidens, cœtus illos, quos deferi vetat Apostolus, opponi aliis Christianorum Ecclesiis, imò certum est eos opponi religiosis Paganorum & Judæorum conventibus, ut ipse *Episcopus sub init. resp.* fatetur. Ubi igitur publicus cultus à Magistratu imperatus principis salutiferæ fidei certò atque evidenter non repugnat, juxta Canonem nostrum certum est, Magistratui parendum esse, potiùs quàm, ob quæstiones, quas ad æternam salutem necessarias esse non æque certò & evidenter nôsti, Supremæ Potestatis jussa contemnere, Ecclesiam distrahere, caritatis officium negligere, Aliis offensus esse, publicam turbare tranquillitatem: quæ omnia Divinis legibus certò & evidenter repugnant. Nostram igitur regulam si adhibuisset *Episcopus, Resp. ad Quest. LI.* longè aliter judicasset, neque, Vir cæterà ingenii haud qua-

quaquam obtusi, in eodem & proximè antecedente responso adèdè apertè sibi ipsi esset adversatus.

THEOPH. Atqui mihi certum & evidens est Magistratum Conscientiis imperare, ut non posse, ita neque conari debere.

EUB. Optumè. Verùm hîc non de vi Conscientiæ inferenda agitur, quæ nulla neque est neque excogitari potest, sed de Conformatione solummodo externorum actuum, qui Humano imperio sunt expositi. qua de realiâ, De LIMITIBUS INTER SPIRITUALE ET CORPOREUM.

THEOPH. Jam mihi aliud in mentem venit, quod, quomodo juxta regulam istam elucides, non video. Principem pone, qui in flagranti delicto vivat, atque in eo perseveret. Hic sacræ Synaxeos Symbolum, quo Dei tantum promissio sed & sanctissima nostra astipulatio continetur, sibi exhiberi jubeat. Quid illi à quo id postulat est faciendum?

EUB. Regulæ in hæreamus: Si ille à quo id postulat, genuinus sit Dei Servatoris Christi Minister, & certò atque evidenter noverit, Principem flagitiosam Christiano homine indignam vitam degere, atque in ea persistere; jam certum est & evidens, Eum Christianæ Fraternitatis Sacramentum Principi citra prævaricationis crimen exhibere non posse; neque quenquam credo tam insanum esse, ut hoc neget: hoc enim ipso ostenderet, se quid sentiat aut loquatur nescire, dum ea statueret quæ certò & evidenter secum invicem pugnant.

THEOPH. Quid igitur genuino Christi Ministro hîc faciendum; Si talis tamen Princeps Christianæ communionis Sacramentum sibi exhiberi urgeat?

EUB. Principi non insultandum, utpote quod ne Diabolo quidem Michael Archangelus fecit; neque adèdè existimatio Ejus coram Subditis aut Aliis lædenda, multò minùs tribunitiis concionibus traducenda. Hoc enim apertè & disertè Divina Lex prohibet. Sed regulæ nostræ consentaneum est, quod, post innumeros alios, nuper adèdè Jurisconsultus quidam haud incelebris; *Stryk. ad Brunnem. de Jure Eccles. lib. 1. cap. 6 pag. 243. Francf. ad Viadrum an 1681. Si tandem spretis omnibus, Cœnæ administrationem urgeret Princeps, neque modestâ piâque deprecatione se liberare & impetrare possêt Minister, ut propria sponte his sacris se abstineat Princeps; Officio suo cedere potius, quàm sauciâ conscientia ulterius præesse deberet.* Ita Deo daret quod est Dei, & Cæsari quod Cæsaris est, imò dum Cæsari daret, quæ Deus dari jussit, omnia daret Deo. Hoc verò si Minister non faciat vel Hypocrita est, & Hominum solùm, non Dei Servus, vel Principis sui crimen & in eo patrando perseverantiam, certò atque evidenter exploratam non habet.

THEOPH. Jam aliud negotium in mentem venit, de quo; si ad regulam istam Tuam attendissem, video me longè aliter fuisse judicaturum.

EUB. Ediffere, quodnam fuerit.

THEOPH. Consuluit me aliquando nonnemo Amicorum meorum, an Hero suo, super facto quodam illicito, quod ipso inconsulto ac prius inconscio ille susceperat atque jam confecerat, testimonium efflagitanti, teneretur obsecundare.

EUB. Quid igitur Amico consuluisti?

THEOPH. Ut detrectaret, cum factum ipsum illicitum esset.

EUB. At verò, mi Theophile, ubinam Deus prohibuit, testimonium præbere veritati, præsertim quando *supereminens potestas* id requirit? Si illicitum esset de re illicita testari, in criminum iudicio nullus testibus locus foret. Vide quorsum aberremus, nisi ad certas agendi regulas attendamus. Sed forte illa Amici Tui testificatio approbationem facti indixisset?

THEOPH. Minimè! Hanc enim jam simpliciter & distinctè recusaverat, atque ipse Herus tum verbis, tum scripto declaraverat, haudquaquam se ab ipso requirere, ut facinus ipsum approbaret.

EUB. Forte igitur metuebatis, ne isthuc testimonium Aliis peccandi vel malè iudicandi occasionem præberet?

THEOPH. Imò hoc ipsum iteratà sæpius suâ declaratione prævenerat Herus, ut testificatio ista nemini eorum, qui conscii erant, posset offendiculo esse.

EUB. Ergo forsan testimonii recusatione res ipsa poterat impediri?

THEOPH. Nequaquam. Etenim jam peracta erat.

EUB. Forte igitur pro testimonio illo congiarium aliquod Amico erat promissum: Ipse autem putabat indignum esse ut mercenariam operam accommodaret?

THEOPH. Quin mihi affirmabat, se ita cum Hero suo versari, ut non solum nulla nova præmia ex Ipso exambiret, sed & oblata commodorum augmenta firmiter recusaret, ne horum occasione se obnoxium redderet novis obsequiis, quibus antea obstrictus non esset.

EUB. Quanam igitur vera fuit causa, quâ inducti rem suâ naturâ licitam recusastis?

THEOPH. Ut ingenuè fatear, verebar, pro Amico, ne si mandato pareret, Aliorum sibi invidiam & odium conflaret, eoque rebus suis obesset.

EUB. Atque in hoc ipso, licet res levicula videri possit, vos graviter tamen peccastis. Deus jubet, ut quavis Anima Supereminentibus Potestatibus obediat; in Vestro igitur arbitrio situm non erat, obedientiam istam præbere vel detrectare. Neque Tibi licuit hâc in re aliam officii regulam comminisci, quàm quæ modò ex divinis Oraculis & rectæ rationis dictamine est demonstrata. Neque igitur licuit obtendere; illud quod iussus erat Amicus Tuus, periculosum, aut incommodum & molestum vel damnosum esse, & quod aliorum odiis & persecutionibus exponatur. Hæc enim exceptiones Deus legi

suæ

suæ de obedientia erga Principes non adjecit. Hominibus autem integrum non est, excogitatis in commodum suum exceptionibus Divinam legem infirmare. Unica est exceptio, quam audivisti ab Apostolis & Pii omnibus adhibitam. Petitur illa à Dei prohibitione. Cæteræ omnes non nisi figmenta sunt, quibus Homines ἀνυπότακτοι ad lubricitatem & inobedientiam suam obtegendam abutuntur. Quare vel de officiorum ratione *minùs edoctos* vel *Hypocritas* Eos esse oportet, quotquot viros Probos, qui non alio nisi *Liciti*, & *Illiciti* discrimine obedientiam circumscribunt, non dubitant criminari, quasi hominum voluntati nimium morem gerant. Atque huc referendi sunt illi, quos Apostoli vocant ἀλογα ζῶα, *Animantia ratione destituta*, quippe quæ solo impetu aguntur, qui quæ non intelligunt calumniantur, neque horrent de **PRINCIPIBUS** male dicere, Eosque *deterius tractare quàm Angelorum Princeps Diabolum ipsum exceptit.*

THEOPH. Agnosco nunc, vera esse quæ dicis. Verùm & hoc cogitandum, nos à natura ad procuranda commoda nostra propendere, adeòque ingeniosos esse in comminiscendis exceptionibus, quibus, ea quæ nobis molesta sunt, à nobis amoliamur. Quo facilius, spero, & mihi & Amico illi Meo incogitantiam nostram condonabis, præsertim cum hanc ipsam ob causam adeo avidè petierim regulam mihi aliquam dari, ad quam in ejusmodi negotiis actiones meas in posterum possim dirigere.

EUB. Sed semper memineris, ô **THEOPHILE**, quòd, quamvis Te in iis, quæ licita sunt, obsequiosum esse oporteat; in iis tamen quæ à Deo prohibita esse certò & evidenter cognovisti, rigidus sis & immotus, atque illum Constantis Viri characterem vitæ ac moribus exprimas, quem Poëta, Homerus Ethnicus licèt & ex Epicureorum tribu, elegantissimo hoc carmine *l. 3. Od. 3.* expressit;

*JUSTUM, & tenacem propositi virum
Non Civium ardor PRAVA JUBENTIUM,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solidâ; neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus;
Si fractus illabatur Orbis,
Impavidum ferient ruinæ.*

Ut autem constantiam à contumacia possis distinguere, eandem regulam, quam dedimus, adhibebis, cujus beneficio etiam Hypocritas à Viris Bonis dignoscet. Hi enim in iis quæ recta esse certò & evidenter demonstratum habent, citra commodi sui aut incommodi respectum, persistunt: Illi verò, prout utilitas suadet, cerei ad quævis flecti, & ad quoscunque auræ flatus vel arundine sunt mobiliiores,

THEOPH. Quæ hucusque ex Te audivi, mihi quidem satisfaciunt. Verùm miror, si regula quam tradidisti adeò sit evidentis veritatis, quæ fiat, ut viri & eruditione & prudentiâ insignes longè aliud doceant.

EUB. Quinam illi?

THEOPH. Pontificii Doctores, & inter Eos maximè fratres *Ignatiani*.

EUB. Non putem eousque impudentiæ Ipsos progredi audere, ut publicè ac diserte doceant, Præfectis citra omnem exceptionem in omnibus esse obediendum.

THEOPH. Quid igitur sibi vult perfecta illa *cæca obedientia* virtus, quem adeò magnificè deprædicant?

EUB. Odiosum istud nomen fortè nostri Homines rigidioris disciplinæ osiores excogitarunt, & imprimis regulari isti *Observantia*, quâ Monachi præfectos suos prosequuntur, invidiosè imposuerunt.

THEOPH. In eadem quidem olim sententia eram: verùm aliud ex *Massejo* & *Ribadeneira* me monuit *Holdsvorthus* *Lectio* 43. ed. à *Cl. Pearsono*. Sed *Holdsvorthum* dices, utpote nostris partibus addictum, suspectum esse. Testem igitur exceptione omni majorem audiamus Ipsum sodalitiæ autorem *Ignatium*. En epistolam ejus ad Fratres *Lusitanos*, quâ nihil subtilius se unquam vidisse ait *Massejus*, lib. 3. de *vita Ign. cap. 7.* & quam propterea dignam existimarunt, quæ regulis Societatis adjungeretur:

Cùm ambigitur, expedit necne facere quod jubemur, perit celebris illa obedientiæ cæcæ simplicitas, cùm apud nos ipsos inquestionem vocamus, rectenè præcipiatur an secus.

Jam & sub initium *Sectionis XVIII.* Statuite vobiscum Ipsi, quicquid Superior præcipit, Ipsius Dei præceptum esse & voluntatem: atque ut ad credenda, quæ Catholica fides proponit, toto animo assensuque vestro statim incumbitis: sic ad ea facienda quæcunque Superior dixerit, Cæco quodam impetu voluntatis parendi cupide, sine ulla prorsus disquisitione, seramini.

Vides, *Ignatium* Ipsum perfectam hanc obedientiam appellasse *Cæcam*, quod & *Massejus* *Lib. 3. c. 7.* in vita ejus testatur; Ad sapientem hanc sanctamque stultitiam *Cæcæ*, ut Ipse appellabat, *obedientiæ*, suos, ut essent ad subita ac seria promptiores, interdum factis etiam in rebus erudiebat.

Nomen igitur Ipse *Ignatius* imposuit, neque aliud convenientius indere poterat. Nam ut alia præteream, in admiranda illa ad *Lusitanos* epistola hoc unum agit, ut demonstret, ad obedientiæ perfectionem atque tertium gradum esse enitendum, ut quis non solum externos actus & voluntatem præfectorum voluntati conformet, verùm etiam intelligentiam & judicium suum exuat, illorumque Judicio mancipet. *Negari non potest, inquit, quin obedientia comprehendat non solum executionem, ut imperata quis faciat, & voluntatem ut libenter*

ter faciat, sed etiam iudicium, ut quæcunque Superior mandat ac sentit, eadem inferiori & recta & vera esse videantur. Hinc & media præscribit, quibus ad summum istum obedientiæ Gradum perveniri possit: quorum primum est; ut non in persona Superioris hominem obnoxium erroribus atque miseriis, sed Christum Ipsum, qui neque decipi potest, neque decipere, intueamur, neque dubitemus, quin fidelissima Domini Caritas Eorum ministerio, quos nobis præfecit, nos deinceps gubernare & rectis itineribus ducere velit, ac proinde Superioris vocem & iussa non secus ac Christi vocem excipiamus.

Certè obedientiam istam, quæ requiritur, ut omni iudicio renuntietur, Ignatius non malè aut improprie *Cæcam* dixit. Cui exactè conveniunt ea quæ in summario Constitutionem Societatis *Summ. const. §. 34.* præcipiunt; *Ad superioris vocem, perinde ac si à Christo Domino egrederetur, quàm promptissimè sinus, re quavis atque adeo literà à nobis inchoatà nec dum perfectà relicta. Obeundum est quicquid nobis injunctum fuerit, omnia iusta esse nobis persuadendo, omnem sententiam ac iudicium nostrum contrarium Cæca quadam obedientia abnegando. §. 36. Nam & sibi persuadeat, quòd, qui sub obedientia vivunt, se ferri ac regi à Divina Providentia per Superiores suos sinere debent, perinde ac si Cadaver essent, quòd quoque versus ferri, & quacunque ratione tractari se sinit; vel similiter atque senis baculus, qui, ubicunque & quacunque in re velit eo uti, qui eum manu tenet, ei inservit. Pulchrè Cadaveris & Baculi similitudinem adhibuerunt, quòd ostendant perfectionem Obedientiæ in eo consistere, ut quis sibi ipsi mentem excuset, omnesque sensus eruat, atque in caudicem & stipitem transmutetur. Atque hæc, teste Maffejo, Ignatius non præcepit tantùm, sed & Ipse præstitit. Imò & iis, quorum jurisdictioni non suberat, cæcà tamen obedientiã parebat. Audi porrò, quid de Eodem Maffejus *De vita Ignatii l. 3. cap. 7.**

Romano quidem Pontifici, cuius in verba præcipuo sacramento juraverat, ita erat præsto ut ad ipsius nutum sese paratum exhiberet, confecta jam ætate, unius baculi adminiculo, pedibus quocunque opus esset peregre proficisci, vel etiam navigium ascendere planè exarmatum, seque eodem Pontifice iubente, mari ventisque sine ulla dubitatione committere. Quem ipsius animum vir quidam primarius cum haud satis probaret, & in ejusmodi re Consilium prudentiamque requireret; prudentiam quidem non obedientis, verùm imperantis esse, respondit Ignatius. Et sanè cum in Societate nostra virtutem hanc cæteris omnibus anteferet; tum nihil huic laudi tam contrarium dicebat esse, quàm in Superiorum iussis & Consilio examinando moram, vel potiùs arrogantiam: negabatque obedientis monita dignum haberi oportere, quò legitimo Superiori non cum voluntate iudicium quoque submitteret. Medico quidem quoties egrotaret, ita se dicto audientem præbebat, ut ejus nomina pro oraculis duceret, ut quodammodo prudentiam penitus exuisse, & omnem suæ salutis curam & sollicitudinem in eundem projecisse videretur. Cum Stomacho gravissimè laboraret aliquando ex nimio videlicet hepatis calore, adhibitus Medicus, quo Domus eo tem-
pore

pore utebatur adolescente, nec peritissimo, frigida corporis constitutioni causam illico tribuit, nec mora, quidquid excogitari potuit ad corpus & præcordia calefacienda, præscripsit, ac primum fenestras foresque cubiculi, ne quid afflaret aura, obserari diligenter iussit; deinde languentem multa sub veste continere sese; postremo quam Calidissimo cibatu & exiguo mero, sed quam austerissimo refici. Quæ omnia Ignatius licet sibi, non levibus argumentis, minime accommodata sentiret, ac Medicum Ipsum nec literatissimum, neque exercitatissimum sciret esse; tamen ne cum extremo quidem vitæ periculo contra Eius edicta nihil unquam effatus est. Ætas erat summa; calores ut in urbe maximi: Ingenti stromatum pondere premebatur Ignatius: manabat è membris omnibus tanta sudoris copia, ut culcitra ac vestes maderent; ac nihilominus ex præcepto se intra calida fomenta cobibebat egrotus; ardebat siti, nihil omnino poscebat; Discruciabatur doloribus acerbissimis; nullam edebat vocem; linquebatur animo interdum neque tamen significabat; Denique perversâ, curatione eò adductus est, ut cum ultimum sibi discrimen adesse intelligeret, Societatis administratione Patribus delegatâ, aditu cubiculi domesticos prohiberet omnes, uno excepto Valetudinarii Curatore; atque id demum extitit signum, desperatâ jam valetudine, se ad vitæ exitum comparantis. Itaque Patres, in re tam subita consilio habito, cum non deessent, qui Medici præsertim Junioris placita reprehenderent; Alexandrum Petronium, ætate provectâ Virum, & Medicæ artis laude præstantem, extemplò acciri jubent. Is ut inspexit Ignatium, genusque & ordinem adhibita medicine cognovit, per summam indignationem vociferatur, hominem calore necatum esse: pandi confestim fenestras, & ostia, levari stragulis lectum, frigida haustus affatim dari æstuanti imperat: quæ res prioris Medici inscientiam plane coarguit; Si quidem refrigerato hepate, ventriculi tormina quievêre. & obedientiæ meritis Pater auctus, pristinam insuper valetudinem brevi recepit. Rursus cum jejunia cineralia seu Quadragesimam, quamvis affecto corpusculo, perseveranter nihilominus observasset, ipsâ denique feriâ quartâ Sanctioris hebdomadæ febris correptus est, nec dubitavit Idem Alexander, quintotum id ex imbecillitate nimia proveniret; quocirca pulli gallinacei esum ad vespèram illi præscripsit, abiitque admodum incertus animi, utrum Ignatius tali tempore iussâ facturum esset. Redit deinde postridie, queritque sollicitus, num se refecerit pullo? cum annuisset Ignatius: Fatebor, inquit Alexander, ingenuè id quod res est. Complures non custoditâ solempni abstinentiâ nihilominus hoc tri-duo in morbum incidere, quibus ego cum accersitus, carniùm cibatum indixerim, vix egrèque ab iis impetravi ut obtemperarent; propterea quod per hos dies carni-bus vesci nimis grave piaculum ducerent: Tu contra, peracto jam penè curriculo, ad ipsas metas meo monitu non recusasti desistere. Hoc ego Pater satis mirari non possum. Ad ea Ignatius serenâ fronte, quæ animi tranquillitatem indicaret; Atqui obediendum est, inquit, nec plura in eam sententiam effatus est. Quo responso mirificè delectatus Alexander, & sanctitatem viri magis magisque sufficiens, totam rei gesta seriem ipsemet mihi deinde narravit. Porro præcepta isthæc miraculis firmata:

mata, ex Gregorio & vitis Patrum recenset. Idem Ignatius in epistola sæpius laudata; *Ob. Virt. lemm. 18. Maurum sancti Benedicti discipulum, cum mandato Superioris lacum ingressus esset, mersum non fuisse; Alium à Superiore jussum, ut ad se leanam duceret, cepisse illam & ad se duxisse.* Et Bellarminus *De Monach. l. 2. c. 21.* ex vita S. Martini narrat, quendam ad Superioris mandatum ardentem clibanum impune ingressum; alium virgam aridam Storacinam absque succo & radicibus per triennium integrum rigasse, donec flores & fructus produceret. Quo pertinet Arbor obedientiæ, *Vansleb. in itinere secundo Ægyptiaco. 1673.* in Sancti Johannis Exigui Monasterio, quæ ex Divi hujus baculo miraculosè excrevit, postquam ex Superioris jussu terræ infixus & quotidie irrigatus esset. Quæ, ut prolixius, ita etiam jucundius apud Ipsos Autores legas: ut *Throgmortonum* taceam, qui in *Ipsa mortis articulo noluit animam exhalare. & Deo concredere, donec à Superiore assidente veniam petisset atque impetrasset;* ut ex *Everardi* apologia fideliter refert Venerandus Præsul *Prideaux de religione juramenti ex edit. Cl. Heideggeri, pag. 502.*

EUB. Vera hæc quidem omnia esse fateor, mi Theophile, sed verum tamen manet illud, quod dixi; Neque Ignatium neque quenquam ex Ejus sequacibus, multò minus cæteros Pontificios eousque prorupisse impudentiæ, frontemque adèd perfricuisse, ut ausint nostrum axioma & Canonem negare. Tanta est vis Veritatis!

THEOPH. At non video quomodo hæc consistant.

EUB. Laudasti Ignatii epistolam ad Lusitanos. Ceddò inspiciamus. Nunquid hinc vides ista verba ex *Bernhardo;* sive *Deus sive Homo Vicarius Dei mandatum quocunque tradiderit, pari profectò obsequendum est curâ, pari reverentiâ deferendum, ubi TAMEN DEO CONTRARIA NON PRÆCIPIT HOMO.* Lege & ultima verba sectionis *XVIII. IN OMNIBUS REBUS, QUÆ CUM PECCATO MANIFESTO CONJUNCTÆ NON SUNT.* Expende imprimis quæ habet *Sectio IX.* quæ certè ejusmodi sunt, ut *Massejus* non immeritò laudem subtilitatis epistolæ huic attribuisse videatur. Nimirum *Ignatius* postulabat à perfectæ obedientiæ Cultoribus, *ut non solum idem velint, sed & idem sentiant quod Superior, Ejusque judicio judicium suum subjiciant, QUO AD POTEST DEVOTA VOLUNTAS INTELLIGENTIAM INFLECTERE.* Nunc audi, quid porro addat; *Quævis animi (intelligentia scilicet) tametsi non eâ, quâ voluntas pollet libertate, prædita est, atque ipsâ naturâ fertur ejus assensus in id quod sibi veri speciem præbet; tamen multis in rebus, in quibus videlicet COGNITÆ VERITATIS EVIDENTIA VIM ILLI NON INFERT, potest voluntatis pondere in hanc potiùs quam in illam partem inclinari.* Et sub finem ejusdem sectionis, iis verbis quæ adduxisti, *omnia Superiorum mandata ac sensa videre debere recta & verà,* hanc limitationem subjicit quam Tu omisitisti, *QUATENUS, UT DIXI, VI SUA POTEST VOLUNTAS INTELLIGENTIAM FLECTERE.* Quibus verbis significat,

saltem iis hominum mandatis, quæ quòd iniqua sint ignorare haud possis; obtemperandum non esse. Allegasti *Summarium consit. Societatis*. At vero inspicere *articulum XXXI. Voluntatem & iudicium suum cum eo quod Superior vult & sentit in omnibus rebus, CUBI PECCATUM NON CERNERETUR*) omnino conforment. Laudasti *Bellarminum*. At vide, quid eodem illo capite ex *Basilio*, ut ipse quidem putat; debere *Monachum Præposito parere, neque discutere quid sit quod præcipitur, MODO NON SIT MANIFESTE PECCATUM*. Atque hanc exceptionem aut disertè semper apponi debere, aut ubique tacitè intelligi, nemo credo vel ipsorum illorum *Sophistarum*, quos *Casuitas* vocant, negaverit.

THEOPH. Ab istiusmodi Nugonibus Bibliothecam parùm instructam habeo. Sed ecce Patrem *Lynannum Theol. Mor. l. 4. tract. 5. c. 9.* qui jam nobis sit *Aliorum* instar.

EUB. Benè. Evolvamus, legamus quid respondeat ad quæstionem; *Ad quid obligetur religiosus ratione voti obedientie, & quibus modis illud violetur?* *R. Votum obedientie violat religiosus, si non præset ea quæ Superior præcipit cum voluntate eum obligandi sub culpa, dummodo quæ præcipiuntur mala non sint, atque ordinis institutio & regulis conformia.* Respice hinc paulo inferius, ubi distinguit inter obedientiam imperfectam, perfectam, & indiscretam, quam postremam dicit esse, *si quis obedit contra legem Dei vel contra regulam ordinis.* Imò vide quomodo hic *Miranda* placitum exponat. Dixerat ille: *Regularem non obligari ad obediendum Prælato indifferentia imperanti.* Concedit hoc *Layman*, & dicit, *verum esse, si appareat Prælatum vanè & inutiliter, nulloque bono fine præcipere.* Si exceptio istiusmodi in indifferentibus locum habeat, quis eam neget in iis quæ à Deo prohibita sunt? Ais Pontificios obedientiam Cœcam laudare. Ita fanè. Sed lege de ea re *les imaginaires du Sr. de Danvillers epistolam nonam de heresi imaginaria*, ubi *Scriptor Pontificius* docet, Cœcam dici, non quòd nos privet lumine fidei, aut discrimine inter bonum & malum, sed quòd in nobis tollat *vana Philautie & cupiditatis cogitata*; atque inter alia *Bernhardi & Gregorii* dicta etiam isthuc laudat *Divi* inter ipsos *Francisci Salesii*; *Stultitia est credere, quod Cœca obedientia in eo consistat, ut quis quoquo modo quicquid imperari possit, exequatur ETIAMSI DEI MANDATÒ CONTRARIUM SIT.*

Bernhardi mentionem fecisti. *Bernhardum* de præcepto & *Disp. c. 12.* audi. Cùm dixisset, *sive Deus sive Homo Vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profecto obsequendum est curâ, pari reverentia deferendum* mox subdit; *Ubi TAMEN DEO CONTRARIA NON PRÆCIPIT HOMO.* Quod si contigerit, pergendum indubitanter consulo in *Petri* sententiam, quòd *Deo obediendum magis quam Homini*bus. Aut enim respondendum hoc cum *Apostolis* aut cum *Phariseis* certò audiendum; *Quare vos transredimini mandata Dei propter traditiones vestras?* Quæ verba ad hanc ipsam quæstionem affert gravissimus *Lovanien-*
sium

fiunt Theologus *Sinnichius Saul Ex rex. l. i. c. 78. XI. q. 3.* Sed si sententiam à Romana Ecclesia approbatam cognosse velis, inspicere per compendium, quæ in *Decreto Gratianus* collegit pulcherrimè & accuratè dicta quibus unum hoc adde, ex aureolo isto Cardinalis *Bonæ* libello *Manuduct. ad cælum cap. 24.* Hic quidem dixerat : *Suscipiendum esse Superioris edictum, velut emissa divinitus vox nullâ questâ præcepti causâ vel motivo. Nescit judicare qui perfectè didicit obedire. Moneat Superior, jubeat lex, dicat quid me velit facere. Non disco, non disputo, non excuso : Sed simpliciter & velociter pareo, paratus ad omnia, seu facilia seu ardua, pari gaudio & promptitudine exequenda.* Sed vide quid subjiciat ; *Unum est in quo refractarius & contumax esse potes, si quis nimirum à Bono Te retrahat, & adversus Dei legem impellat. Cetera omnia constanter & sine murmure exequi debes.* Certum igitur est atque indubitatum, neminem esse ex *Ignatii* Sodalibus, multò minus ex *Aliorum Pontificiorum* discipulis, qui regulam nostram negare ausit.

THEOPH. Ego vero non satis perspicio, quomodo ea quæ hic adduxisti, cum iis conciliari possint, quæ Ego attuli.

EUB. Nemo facilè negaverit, in Ecclesia Romana atque inter ipsos Ejus Doctores existere Viros cordatos & Graves permultos, qui Cœcam illam obedientiam, eo sensu quo Tu primùm eam exposuisti, tanquam, Homine, præsertim Christiano indignam rejiciunt, atque eum quem dedimus Canonem aperte probant & defendunt. Certè incredibile est, Eos qui Ipsum Pontificem Maximum erroribus, tum circa facta tum circa, fidem, obnoxium esse publicè & constanter affirmant, Eos, inquam, statuere, unicuique Præposito citra omnem exceptionem tanquam Ipsi Deo parendum esse, cum Ipsi omnium Præpositorum Principi, Episcopo scilicet Romano, obsequium hoc denegent. Vel quis credat, Curia Parisiensis Consiliarios *Castellum* aut *Ravallacum* à summo læsæ Majestatis crimine ejusque supplicio absoluisse, si dixerint, se in conscientia obligatos fuisse ad perpetranda crimina, quæ sibi à Superioribus præscripta fuerint ? Hos igitur fecerne à versutis illis Machinatoribus, quibus non alia religio, quàm ut aula Romanæ vel Ignatianæ Societati potentiam stabiliant, atque adaugeant : Cui instituto promovendo nihil effis caciùs inservit quàm ista persuasio, quod Superiorum jussa, nullâ habitâ quarumcunque aliarum legum ratione, absque ullo examine aut judicio, sint exequenda.

Hoc sine *Ignatius Ep. ad Lusit. sect. 20.* porrò docet, quòd Cœca obedientia aequè privatis erga proximos Superiores, atque Rectoribus Præpositisque localibus erga Provinciales ; provincialibus erga Generalem ; Generali denique erga illum, quem Deus ipsi præfecit, nempe suum in terris vicarium, Romanum Pontificem, sit observanda. Ita scilicet *Massejus* nobis refert, cum *Ignatius in vita Ign. l. 2. c. 9.* & cæteri Patres de constituenda Societate deliberassent, decretum ipsis fuisse,

ut unus aliquis deligeretur, cui omnes in terris tanquam Christo parerent, in
 cujus verba jurarent, denique cujus sibi nutum ac voluntatem instar Divini
 cujusdam Oraculi ducerent. Facile colligis, mi *Theophile*, post hominum me-
 moriam nullum unquam extitisse machinamentum potentius ad stabiliendam
 absolutam atque universalem tyrannidem. Displiceat Pontifici aut Solipso-
 rum turbæ Imperator aliquis, Rex aut Princeps; Sit ille veneno, sicâ, pyrio
 pulvere è medio tollendus; evertendum aliquod imperium, & Ecclesiæ, id est
 Romani Episcopi Dominio, subjicendum; partes demandentur supersticioso
 alicui Homini *Cæca obedientia* persuasione imbuto. Hic sine ullo examine ca-
 pssit, iussa, meritum obedientiæ præmium, æternam laureolam vel aureolam ut
 vocant, sive adream ꝑ ost ævum hoc recepturus: per saxa, per ignes advolat, fa-
 cinus læto animo suscipit, conficit. Quid humano generi exitiosius aut periculo-
 sius excogitari possit? Hæc facile omnes vident nimis invidiosa esse. Igitur ne pro
 Divinorum humanorumque omnium jurium manifestis Infractoribus ha-
 beantur, non audent exceptionem istam prorsus omitttere. Ponunt igitur eam,
 sed in obscuro loco, rarissimè & paucissimis verbis, ac prorsus defunctoriè.
 Regulam interim absque ulla exceptione ubique & prolixè inculcant, & cœ-
 cam istam quam dixisti obedientiam miris laudibus extollunt, atque à Deo
 ipso miraculis approbatam affirmant. Quæ omnia è comparata sunt, ut disci-
 pulis quidem suis idéam absolutæ illius obedientiæ ingenerent, eaque ad
 propositum suum abutantur, & tamen, ubi opus est, ad declinandam apud
 Probos & Cordatos omnes invidiam, pestilentissimum istud suum dogma ex-
 cufare, vel atrocitatem ejus tegere aut extenuare possint. Hæc ex iis quæ ab
 urroque nostrum jam modò allata sunt, manifeste patent. Quàm acer & co-
 piosus est *Ignatius* in epistola illa, ut persuadeat judicium omne abdicandum
 esse! quod si fiat, utique discerni non potest, quid Dei voluntati conforme,
 quid Contrarium sit, adeoque omnis exceptio præcluditur. Sed quam parcè,
 nempe unico tantum verbulo, exceptionem nostram attingit! Obiter quidem
 ait in omnibus obediendum, QUÆ CUM PECCATO MANIFESTO
 CONJUNCTA NON SUNT. Sed & hîc ad novam fallaciam attende. *Peccata*
 excipit MANIFESTA. Primò non vult in naturam præceptorum inquiri,
 ne fortè quod iis inest peccatum *manifestum* fiat. Deinde *Cuinam* fiat manife-
 stum? certè homini judicanti: atqui ille subditis suis *omni judicio interdicit*.
 Quomodo igitur ipsis peccata devenire possint *manifesta*? Dum statuit intelli-
 gentiam à voluntate inflecti debere ad obsequium, modò id fieri possit; nun-
 quid hoc unum intendit, cognitionem veritatis, quæ Superiorum mandato
 contraria esse queat, sedulò & omni studio evitandam esse, quantum intelli-
 gens hominum natura patitur? Quo ipso quid aliud docet, quàm virtutum
 omnium Principem & coronam in eo sitam esse, ut, quantum humana natura
 patitur, è allaboremus, quò *intellectus noster cæco imperio mancipetur*.

In constitutionibus verò Societatis semel tantum & in transitu, interjectâ exiguâ parenthesi ait, UBI PECCATUM NON CERNERETUR. In subsequentibus verò absque omni limitatione disertè præcipit, ut CADAVERIS & BACULI instar simus, & omnia quæ nobis injunguntur, nobis persuadeamus justâ esse. Quod si feceris, quomodo obsecro fieri potest, ut peccatum cernas? Vides igitur mera ludibria esse & fallacias. Attende etiam ad Bellarmini dolum. Quid cœca obedientia sit nuspiam definit, ne se nimis apertè prodât. Sed tantum rationes adducit, & fabulosa miracula recenset, ex quibus unicuique licet colligere, parendum esse absque ullo judicio aut exceptione. Certum igitur est, mi Theophile, Ignatianos fratres exceptionem nostram, cum à tota Catholica Ecclesia approbata, à rectâ ratione dictata, ab Apostolis, Martyribus, & Doctoribus omnibus inculcata sit, apertè rejicere non audere, sed eam tamen ita premere, neque ejus, nisi, quod ajunt, dicis gratia meminisse, ut in ipsa praxi evanescat.

THEOPH. Ergò hi tamen modestiores & verecundiores videntur Hobbesio, cui cum constitutum esset Cæcam planè obedientiam subditis persuadere, apertè & absque ulla pudoris specie id egit, quando *elem. de Cive cap. 12. & Leviath. c. 29.* pro primis causis, quibus civitas dissolvitur, has duas opiniones ponit; Judicationem boni & mali ad singulos pertinere, & subditos peccare, si Principum suorum mandato, quæ sibi videntur injusta esse, exequuntur. Has illè Orationes disertè affirmat erroneas esse, & seditiosas, atque obedientiæ civili penitus adversari, idque etiam putat se evidenter demonstrasse.

EUB. Neque ille tamen exceptionem nostram ausu seest rejicere. Exertè ait alicubi, *Elem. de Cive c. 6. art. 13.* multos esse casus in quibus Obedientia negari jure potest, quemadmodum sapiens possit accidere, ut Princeps jure suo abutatur, & contra leges naturales, id est, contra Deum peccet. Et alibi, *Elem. de Cive c. XV. art. 18. & 19.* ad quæstionem, Quid si Civitas directè imperet Deum contumelia afficere, vel prohibeat colere? respondet, non esse obediendum. Paulo post itidem quærit; Quid si is homo vel Curia, cui commissa summa Potestas civilis, jubeat se coli illis attributis & actionibus, quibus colendus est Deus. Tum respondet; *Attributis quibus significamus sentire nos, hominem aliquem ita imperium habere, ut à Deo non dependeat; vel esse immortalem, vel potentia infinita, & similia, quanquam jubeant Reges, abstinendum est. Sicut & actionibus idem significantibus.* Et sub finem istius capituli; *Procedunt peccata hic similiter ac si supponeremus, aliquem hominem esse supremum Regem, qui absens regnaret per Pro-Regem, contra quem quidem peccarent illi qui Pro Regi non obedirent in omnibus, excepto si regnum sibi ipsi arrogaret, vel alii tradere voluerit. Illi vero qui ita absolute Eidem obedirent, ut illud non exciperent, rei Majestatis dicerentur. Quo pertinet quod cap. XVIII. ait; si Principes facere jusserint quæ puniuntur à Deo morte aeternâ, in sanum est non potius mori mortem naturalem, quam obediendo mori in æternum.*

THEOPH. At quo pacto ista omnia Inter se concilies?

EUB. Fortè non adeò difficile fuerit. Cùm enim nemo possit in alium, adeòque nec in summam Potestatem, conferre ea, quæ ipse non habet, nemo autem constanter facultatem habeat mentem suam in veritate dignoscenda impediendi, consequitur facultatem istam transferri non posse, ac proinde illam exemptam esse ex numero earum rerum, quæ Principi sunt submissæ. Verùm operæ pretium non est, nunc in id inquirere. Sufficit *Hobbesium*, non ausum fuisse eò dementiæ & impudentiæ prorumpere, ut axioma nostrum & quam regulam dedimus constanter negaverit.

THEOPH. Unum adhuc occurit, quod regulæ nostræ repugnat, quodq; ex subtilissimo *Caram. Lobkovvitz in cap. IV. Bernh. de præc. & Dispens. Caramuele* addidici: *Qui probabiliter putat se violaturum esse legem Dei, faciendo quod lege humana indicitur, poterit alterutrum facere, id est obedire vel non obedire* Rationem addit; *quia non potest una contradictionis pars esse probabilis, & altera improbabilis. Ergo si in tali casu est probabile, quòd actio humanitatis præcepta legi Divinæ opponatur, etiam erit probabile quod non opponatur, & cùm quæcunque probabilis sententia sit segura in conscientia, alterutri poterit subscribi.*

EUB. Instituti mei non est digredi hîc ad materiem de *probabilitate* ab aliis dudum occupatam. Axioma & regula nostra de quibus loquimur, non pertinent ad *probabilia*, verum ad ea quòrum vel utrumque vel alterutrum saltem est *evidens*. Quòd si ergo evidenter nosti aliquid à legitima potestate humana præceptum esse, & probabiliter tantum putas, id speciatim à Deo esse interdîctum, certè teneris sequi illud quod evidens est, adeoque humanæ legi obedire, utpote cui ut obedias, Deus Ipse, universim quidem sed tamen evidenter iussit, alioquin certo & evidenti Dei mandato inevidens & incertum præferres. **Immota** ergo manet regula nostra.